

directus & alter retrogradus fuerint depræhensi, in tali namq; dispositione, eorum motus horarij in simul addantur, & quod sic conflatur residuaturuè, diuisor longitudinis constituatur præfatæ, & in quotiente resiliunt horæ. Et si quid remanserit per 60. resoluas, & productum diuide per id quod prius, & proueniunt minuta &c. Tempus autem sic exortum adde priori, si coniunctio futura est, vel de eodem remoueas, si de facto præterijt, & quod post additionem colligitur, vel post ablationem residuatur, erit tempus veræ coniunctionis, quod quærebatur exactè. Confimilis fiet operatio in aspectibus eorum, vt in oppositionibus sit distantia eorum per 6. signa, in sextili per 2. in quadrato per 3. in trino per 4. signa.

## De coniunctionibus & oppositionibus veris luminarium.

### Propositio XXIII.

*Tempus veræ coniunctionis & oppositionis luminariū explorare.*

**H**Abeas tempus mediæ coniunctionis vel oppositionis per 21. Item medium motum Solis & Lunæ cum eorum argumentis. Deinde quære ad hoc tempus verum locum solis, vt dictum est supra, scilicet subtrahendo augmentum eius ad idem tempus computatam de Solis motu medio formando argumentum. Inuenias quoq; verum motum Lunæ per eius argumentum tantum.

In oppositione tamen medio motui Solis 6. sig. adijcias, quibus iuuentis reserua adhuc eorum argumenta in parte. Quo facto subtrahe verum motum vnius luminaris de alterius vero motu, minorem scilicet de maiore, remanebit differentia, quæ tamen semper vltiori luminari in zodiaco deputatur. Quæ si Solis fuerit, significat coniunctionem mediam præcedere veram, ita videlicet quod tempus veræ coniunctionis sequitur postquam media coniunctio complete transacta est. Si verò dicta differentia fuerit Lunæ, quia motus eius tali casu reperitur maior in sig. gra. mi. &c. quàm motus Solis, quare tunc veræ coniunctionis tempus completur antequam media coniunctio fieri possit. In oppositione autem si Luna nadir Solis nondum attigit, tunc oppositio vera post mediam ventura est. Si verò pertransiuit, iam erit oppositio vera in breuiore tempore, quàm contingat media eorum oppositio. Quatenus autem inuenias tempus addendum vel subtrahendum à tempore mediæ coniunctionis vel oppositionis. Intra cum argumento Lunæ in tabulam quæ intitulatur, Tabula veri motus Solis & Lunæ in vna hora, & motū respectu signi & gradus positū accipe de tabula Lunæ, quæ æqua per partē proportionalē si opus fuerit. Simili modo cū argumento Solis de ipsius colūna dictæ tabulæ cōstituas verū motū Solis in vna hora.

Quibus